

Treverensis episcopi. Pape irascitur imperator¹⁾. Calumpnie hujus Coloniensis episcopus²⁾ domino pape favendo fit particeps, nota sunt hec. Dixerim illa pro parte mea, nam causa me tangit periclitatum usque ad mortem, hujus rei gratia. Itaque in hoc negotio multi nuntii littereque cucurrerunt episcoporum ad papam, pape ad episcopos. Clam tamen istud; nam si quis deprehenderetur, proditoris reus et hostis imperii tractabatur. Hinc obsesse vie, competa custodita, ut, si quem notaret suspicio, nunquam transiret indiscussus. Apices tamen non sederunt currentes, et cum periculo portitorum, arte tamen observantibus illusum est. De portantibus unus ego fui, episcopi Coloniensis epistolas ferens, electus ad hoc et talis visus in quo minor esset suspicio. Equidem capellanus laturus illas mihi ferre commisit; perferenti magna promisit et in viam viaticum sufficiens prebuit. Baculo peregrini clauderantur arte signate, ne quis facile possit agnoscere. Precessit ille vacuus et securus. Ego si discuterer, habui sustinere dispendium. Verone debueram ei reddere litteras; illuc usque metus fuit, sed et ibi dominus papa tunc sedit.

Quod capta fuit et suspensa.

Necdum ad Alpes ventum est; in Rhetia dum transirem, que provincia est Alamanie, furem offendi. Hic junxit se mihi, sciscitans, quonam vellem? Transalpinare me velle, dixi; dixit et ille, voti esse id sui. Imus pariter, et ecce venimus ad silvam, non grandis illa et transitu facilis. Respicimus, et "Ecce viri consequuntur nos", ajo, "concitati sunt in eundo veloces". Ipsi a fure dampna pertulerant, et res eorum in sacco ejus. Dixit ergo ad me: "Sede super saccum hunc, donec revertar ad te". Ingreditur silvam, latitans dum transirent, sed transire illorum non facile mihi. Veniunt ad me, saccum respiciunt, excutiunt me de illo et quod fuit in illo, suum inveniunt. Verberant me sine miseria. Innocentem me clamitans atrocius ferior, vincior loris manus, alligor furto meo, crebris ictibus minor ad tribunal, judici offeror, accusor, manifesta causa, non est negatio, quesita sententia dampnor patibulo. Dantur inducie confitendi, sacerdos exhibetur mihi, peccata mea confiteor, taceo de presenti crimine. Hinc interrogatus inficior, rem, ut gesta est, pando. Litteras pontificales in testimonium haberi in baculo. Queritur et invenitur ille et in illo veritatis indicium. Consulit sacerdos, dimitti hominem, nemus ambiri, queri furem. Ego custodior, ille capitur. Aptatus iudicio negat se scire causam, saccum non ad se pertinere, periclitari se injuste pro re, quam nesciret. Sacerdos agens pro me: "Judicium", inquit, "divinum ambos examinet, ipsum inter ista

1) Friedrich I. 2) Philipp von Heinsberg 1167—1191.